



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Benedictio Corporalium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

Oremus.

**E**Xaudi, Domine, preces nostras, & hæc lintheamina, sacri Altaris usui præparata, benedicere ✠ & sanctificare digneris. Per eundem Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

**D**omine Deus omnipotens, qui Moysen, famulum tuum, ornamenta & lintheamina facere per quadraginta dies docuisti; quæ etiam Maria texuit & fecit in usum ministerii & Tabernaculi fœderis: benedicere ✠, sanctificare ✠, & consecrare ✠ digneris hæc lintheamina, ad tegendum involvendumque Altare gloriosissimi Filii tui, Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. *Deinde aspergit ea aquâ benedictâ.*

*Benedictio Corporalium.*

*Vers.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**C**lementissime Domine, cujus inenarrabilis est virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue, quæsumus,

ut

ut hoc linteamen, tuæ propitiationis benedictione ✠, sanctificetur, ad consecrandum super illud Corpus & Sanguinem Dei & Domini nostri Iesu Christi, Filii tui. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

Oremus.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, benedicere ✠, sanctificare ✠, & consecrare ✠ digneris linteamen istud, ad tegendum involvendumque Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, Filii tui. Qui tecum vivit & regnat *Et c. Resp. Amen.*

Oremus.

**O**Mnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde: ut, per nostram benedictionem ✠, hoc linteamen sanctificetur, & Corporis ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium, Spiritus sancti gratiâ, efficiatur. Per eundem *Et c.* in unitate ejusdem Spiritus sancti. *Resp. Amen. Et aspergit aquâ benedictâ.*

*Benedictio Tabernaculi, seu Vasculi, pro sacrosancta Eucharistia conservanda.*

*Vers. Adjutorium nostrum in nomine Do-*